10240

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
QUASDAM
OBSERVATIONES EXPERIMENTAQUE
DE
VI TABIS VARIOLOSAE,
IN STADIIS
MORBI DIVERSIS;
ET DE
USU MERCURII
AD MORBUM MITIGANDUM,
COMPREHENDENS:

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. *Praefecti;*
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto*
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;
IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
RICHARDUS LANGSLOW, A. M.
ANGLUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD.
Ad diem xviii Maii, hora prima P.M. locoque solito.

GLASGUAE:
IN AEDIBUS ACADEMICIS
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.
M.DCC.XCI.

. Guichard Esqr with
the Compliments of the
Author ——

ILLUSTRISSIMO VIRO

RICHARDO ACTON, BARONETTO,

GENTIS VETUSTISSIMAE,

REVERENTIAE SIGNUM.

BRITISH MUSEUM

ETIAM

VIRO CELEBERRIMO

CAROLO WALCOT, ARMIGERO,

DE

AULA BITTERLIENSI,

IN

COMITATU SALOPIAE,

ANIMI BENEFICIORUM

QUAE IN SE CONTULIT

HAUD IMMEMORIS

TESTIMONIUM.

BRITISH MUSEUM

NEC NON

VIRO REVERENDO

ET

AMICISSIMO

SAMUELI SNEADE,

DE

OPPIDO LUDAE,

IN

COMITATU SALOPIAE,

HOC TENTAMEN,

AMICITIAE PIGNUS,

D. D. D.

AUCTOR.

BRITISH MUSEUM

CAP. I.

DE VI

TABIS VARIOLOSAE,

IN STADIIS

MORBI DIVERSIS.

IN rebus naturalibus, imprimisque medicis, nulla est regula cui magis obsequi decet quam sequenti illustrissimi Baconis Verulamii.

" QUAM ob rem, si qua est erga Creatorem " humilitas, si qua operum ejus reverentia et Mag- " nificatio, si qua caritas in homines, si erga ne- " cessitates et aerumnas humanas relevandas, studi- " um, si quis amor veritatis in naturalibus, et odi- " um tenebrarum, et intellectus purificandi deside- " rium ; orandi sunt homines iterum atque iterum, " ut missis Philosophiis istis volaticis et praeposteris, " quae hypotheses thesibus ante posuerunt, et expe- " rientiam captivam duxerunt, atque de operibus " Dei triumpharunt, submisse et cum veneratione

" quadam ad volumen creaturarum evolvendum
" accedant; atque in eo moram faciant, meditentur, et ab opinionibus abluti et mundi; caſte et
" integre verſentur. In interpretatione ejus eruenda nulli opera parcant, ſed ſtrenue procedant,
" perſiſtant, immorentur."

ADHUC adoleſcens, multorum variolis laborantium ſanationem ſuſcipiens, identidemque, variolas inſerendo, vaſtationibus earum occurrere nixus, plurima cogitavi. Quae alii hac de re ediderunt perlegere ductus, Medicoſque duos, tam peritos quam inſignes, de vi humoris varioloſi, ſtadiis morbi diverſis, haud parum diſſidere inveniens; controverſiae, quae diſceptationibus theoriae potiuſquam experimentis bene adminiſtratis pendere videbatur, documentis crebris variiſque, ponere finem decrevi.

ILLUSTRISSIMUS Dimſdale, in tractatu ſuo de variolarum inſitione, affirmavit, ſaniem varioloſam liquidam, etiam ante febrem quae eruptionem comitatur detractam, pariter cum pure craſſo, contagionem impertiendo, votis ſuis reſpondiſſe, † et Sutton de hac re idem cogitaſſe videtur.

† " Nor is it of conſequence whether the Matter be taken be-
" fore, or at the Criſis of, the diſtemper. It is, I believe ge-

* Dominus Mudge, in opuſculo ſuo ingenioſo, annis paucis elapſis in lucem edito, non modo negavit, ſaniem, e brachio laborantis ante febris eruptionis comitis exortum, detractam, ad morbum generandum, valere, ſententiamque ſuam periclitationum hiſtoria ſtabilivit †; ſed etiam putare videtur ſaniem nunquam pariter cum pure craſſo pollere.

Brevi temporis intervallo, brachiis decem ex viginti hominibus, ſaniem varioloſam poſt exortum febris, ſubtractam, inſerui; et decem alios, eodem modo, cum pure, ex aegro variolis (non inſitione

" nerally ſuppoſed, that the Small Pox is not infectious till af-
" ter the Matter has acquired a certain degree of maturity; and
" in the common method of inoculation, this is much attended
" to; and when the operation has failed, it has commonly been
" aſcribed to the unripeneſs of the Matter.

" But it appears very clearly from the preſent practice of ino-
" culation, that ſo ſoon as any moiſture can be taken from the
" infected Part of an inoculated Patient, previous to the ap-
" pearance of any Puſtules, and even previous to the eruptive
" Fever, this moiſture is capable of communicating the Small
" Pox with the utmoſt certainty. I have taken a little clear
" fluid from the elevated Pellicle on the inciſed Part, even ſo
" early as the fourth day after the operation, and have at other
" times uſed matter fully digeſted after the Criſis with equal ſuc-
" ceſs. (page 27.)

* " How far the ſuperior advantages of uſing Matter in this
" ſtate, have been actually confirmed by the practice of thoſe who
" have recommended it: I cannot pretend to ſay, but from
" ſome remarkable inſtances which I have lately ſeen myſelf, I
" have great reaſon to believe, that this mode of proceeding is a
" very uncertain method of infecting the patient, and therefore
" a hazardous refinement of the operation." (p. 17.)

† Page 20.

contractis) laborante, dum morbi crisis fuit, inoculavi. Ii quibus saniem admovi, die quinto aegrotare inceperunt, et febris eruptivae indicia manifesta, septimo omnes ostenderunt: novem, quibus pus insitum fuit, octavo, nono, decimoque die, in adversam valetudinem inierunt. Decimus immunis manebat.

Omnes incolumes pariter evaserunt, et in omnibus, morbus ex aequo mitis fuit. Annis sequentibus, hoc iterum experiebar eventuque eodem.

Postea, experiri insitionem saniei, ante exortum febris eruptivae subtractae, illectus fui; sed contagionem, hoc modo, rariſſime impertivi.

Tum, variolas excitare ope puris cum jam flavescerit spisseſceritque tentavi. Brachia quibus inferebatur, semper leviter inflammavit. Id quod die crisis ipso detractum fuit morbum fere semper gignebat, quod, vero, die post crisin, rarius et quod postea subtractum fuit rariſſime, morbum induxit.

Hisce, atque aliis experimentis, accuratiſſime factis, liceat mihi existimare, ut a primo febris eruptivae ortu, usque ad ἀκμὴν, virus saniei gradatim

augeatur, eodemque fere gradu vim ſuam demittat, poſteaque quam minime valeat.

Pus, poſt criſin detractum, morbum haud ſemper generare videns, ut in corpus humanum minore vi ageret ductus fui credere; vero ad meum librum memoralem reſpiciens, vidi, praeter hanc opinionem rem cecidiſſe, alios autem certiores facere, volens, hoc explorare, inſitione tabis in omnibus morbi ſtadiis detractae, conſilium cepi. Experimentiſque inveni pus, ante et poſt criſin, detractum, morbum aeque gravem excitare, ſed in hoc diverſa fuere, unum ſemper, alterum aliquando tantum, unum citius, alterum poſterius, morbum generare.

Illustrissimus Dimſdale recte affirmavit, ſaniem atque pus ad morbum movendum aeque valere; vero poteſtatem ſaniei, poſt febris eruptionem comitantis exortum, eum oportet limitaſſe. Dominus Mudge etiam, experimentis ſuis, impotentiam ſaniei ante febris ortum, clariſſime extendit; ſed ille, negando ſaniem unquam dum ἀχώρ eſt, atque pus aeque valere, in erorem incidit.

Sententiae, itaque, amborum illiorum inſignium in re medica virorum, imperitos fallere aptae ſunt.

CAP. II.

DE

AEGROTATURIS PARANDIS

ALIA est disputatio inter Medicos, sectarumque utrarum fautores, ut saepissime evenit, in disputatione nimis vehementes esse videntur.

Temporibus ante actis, cum homines variolas paverint, et eas ut summum malum a Deo demissum metuerunt; earumque insitio hac in regione exercitari coepit, illos operationem subituros, omnibus severitatibus, quae medicina famesque infligere possent, medici vexabant.

Posteriores medicinae cultores non modo inutilitatem sed periculum etiam, consuetudinis prioris videntes, hoc vitio ad summum alterum depulsi fuerant, et affirmabant, nulla praeparatione opus esse; observare symptomata febris eruptivae, illaque temperare, sat esse putantes.

Nos, in hac disputatione in vias accerrimas prio-

rum ingredi, inertiave ſordida poſterioribus, decumbere, non decet.

In illo uſu tanta debilitas inducitur, ut ſaepiſſime morbus confluens moveretur; in hoc, frequenter ſymptomata inflammatoria in ſtadio primo tam crebra ſunt, ut corporis vires divellantur, et, quum febris altera accidit, morbum tabificum generat.

Itaque factiones ambas per vias diverſas ad metam eandem tendere, aegrotoſque ſaepe fatis concedere, videmus.

Celeberrimus Boerhaave in aphoriſmis ſuis dixit, ſibi ſpem eſſe, medicamentum inventurum iri, quod veneno variolarum obſiſtere poſſet, † et illud mercurium ſtibiumve eſſe putavit, ‡ et illuſtriſſimus Van Swieten in commentariis ſuis narrat, medicos nonnullos, auxilio Hydrargyri, morbi virulentiam

† Correctio ſpecifica niti debet invento remedio oppoſito illi veneno contagioſo, quod tam parva mole ſuſceptum reliquo parit, ut effecta. (Sec. 1390.)

Quale inveniri poſſe, comparatio hiſtoriae antidotorum, et indoles hujus mali, faciunt ſperare; et ad indagandam impelliit ſumma hiſce futura humano generi utilitas. (Sec. 1391.)

‡ In ſtibio, et mercurio, ad magnam penetrabilitatem arte deductis, nec tamen ſalina acrimonia nimium corroſivis, ſed bene unitis, ut quaeramus, incitat aliquis horum aliquando ſucceſſus. (Sec. 1391.)

maxime minuiſſe. † Aſſertiones ejus veras eſſe, mihi uſus diuturnus teſtandi documenta ſuffecit; quandocunque corpus aegroti, vel morbo nativo inſitove, mercurio implevi, ſemper mitia fuerunt omnia febris eruptivae ſymptomata: eodemque tempore, aliis, qui hanc rationem non ſecuti ſunt, morbus vaſtationes ſuas attulit.

QUOMODO hoc Phaenomenon explicabimus? An eſt mercurio fermentationem temperandi poteſtas? Oportet hujus theoriae fautores nobis oſtendere, pus varioloſum fermentationem producere poſſe.

† Sed et in ipſo variolarum morbo profuiſſe mercurium dulcem, teſtantur Medici, ut felicius prodirent papulae non tantum, verum etiam quandoque, ut vel nullae omnino naſcerentur, vel ſaltem quam pauciſſimae. Propriae filiae decenni, dum omnia ſigna aderant morbi incipientis, Pater medicus dedit audacem ſatis doſin mercurii dulcis, grana nempe viginti cum quatuor granis ſcammonii ſulphurati; unde ter dejecit, et ſub veſperam vomuit enormiter; poſtea dormivit quietiſſime; nec ſecutae fuerunt variolae, licet tunc temporis epidemice graſſarentur non tantum, verum etiam puellae frater numeroſiſſimis eodem tempore decumberit variolis. Poſtea octenni Puellae idem remedium dedit; ſed non in primo morbi initio; illo cum effectu, ut pauciſſimae erumperent vorialae. Dum faemina, a lue venerea curata, applicatum haberet oſſi ſacro emplaſtrum de ranis vigonis cum quadruplici portione argenti vivi addita, ob reliquias tumoris, qui hanc partem occupaverat, corripiebatur variolis, et mox emplaſtrum abſtulit: totum corpus plenum fuit variolis, ſed ille locus, cui emplaſtrum adhaeſerat, omnino liber manſit. Haec et alia plura ſuadere videntur, cum prudentia argenti vivi uſum in hoc morbo tentari poſſe.

Respiciamus ad ſymptomata morbi, et hujus theoriae auxilio, operam ea explicare demus. Incipiamus inſitione tabis, ut, hoc modo, tempus contagionem accipiendi nobis notetur.

Vulnere in Brachium facto, tabis varioloſae portiuncula inſeritur. Prima viciſſitudo eſt partis levis prurigo; paulo poſt, ſi, cum lente vitrea convexa inſpicias, tincturam eſſe ei croceam, tutemque ſe contraxiſſe, videbis. Paucis diebus elapſis, tenſio, et omnia inflammationis indicia, adſunt; cito poſtea, veſicula, ſaniem pellucidam continens, oritur; tunc tumor, dolorque axillae glandulam invadit, rariſſime vero ad ſuppurationem tendit. Hoc ſtadium primum morbi nominemus; et nunc rationem ſymptomatum reddere, conemur.

Fermentationis theoriae amici proponunt, humores corporis primum mutatos eſſe.

Si res ita accidat, operatione nos oportet vaſa aliqua incidere, ut humoribus corporis nonnullis, haec tabes miſceretur, ſed hujus nihil eſt opus. Si venenum abſorberi, concedamus, tunc inflammationis, ex vulnere ortum, non poſſumus explicare; nam ut, aliis humoribus primum miſtum eſt, procul ab

inſitionis loco, longe erraverit, igitur magis verisimile mihi videtur, hac ratione, ut corpus totum primo moveretur, vel ſaltem glandula axillaris antea puncturae ſedes incitaretur. Vel concede, in parte puncta prius fermentationem oriri tunc primo humorem, poſtea inflammationem, notaremus, et non cutis contractionem, ſed, contra, tumorem videremus. Qui vero hujus morbi illa ſymptomata annotavit?

Haec Phaenomena exponere, theoria opinionibus Celeberrimi Johannis Hunter nitente, tentabo; vero, antea explicationem incipio, quaſdam propoſitiones proponam, et illas veras eſſe oſtendere conabor.

I. Arteriae in corpore humano, ſecundum ſtimulos iis admotos, actionem variant.

II. Est in certis corporis partibus, major quam in aliis proclivitas propriis actionibus.

III. Cum actio ſpecialis contagii applicatione incitatur, tunc corporis parti alicui vires ſuffectae ſunt

humorem ſecernere; qui partes corporis alias eodem modo movendi poteſtate gaudet.

Talem eſſe corporis poteſtatem, de qua in prima poſitione diximus, nemo, qui ſecretiones et ſingularum variationes, notavit, negare poteſt. Hellebori pulvere, aliove corpore acri, in nares reſorbto, prius emungitur mucus; ſternutatione repetita, humor pene aquoſus copioſiſſime effluit. Homo hypochondriacus, ad nuntiorum ingratorum adventum, mingere cito incitatur, et urinam tenuem lympidamque abundanter excernit. Urethra etiam, quae in ſalute muci ſubalbidi pauxillulum ſecrevit, gonnorrhoea laborans, humorem albidum, craſſum, purique ſimilem, copioſe effundit. In ulceribus etiam humoris naturam maxime variari videmus, multis remediis, quae minime certe humores ipſos mutarent.

Quicunque notavit Phaenomena quae indies occurrunt, veram eſſe propoſitionem ſecundam teſtabitur. Quum venenum venereum in ſanguinem inducerctur, non corpus totum pariter movet, autem primo guttur naſumque vaſtat: dum rubeola, homo aegrotat, cutis, oculi, et pulmones vexantur; ſcarlatina, fauces cutemque, praecipue invadit.

PROPOSITIONIS tertiae, Lues venerea eſt exemplo. Tabe illius peni admota, paucis diebus, pars inflammari coepit, et cito apparet pus, quod peni altero admotum, morbum, aeque atque prius, movere valet; et ut nobis videretur, in aeternum valebit. Haec vero poteſtas tabifica, non (ut nonnullis viſum fuit,) oritur dilutione portiunculae admotae, quae certe jamdudum a parte lavata fuiſſet; tamen pus novum fermentatione generatum diu in aliis corporibus, morbum incitare, et in eundum reſorptum, omnia ſymptomata ſyphilis illic inducere valet. Aliud argumentum quo contra hanc conjecturam uti nobis liceat, eſt, quocunque in modo hic morbus, ſicut alii morbi contagioſi, primo inter nos exortus fuit, paucos principio infecit, et hodie ad morbos excitandos minime pollere debet. Sed ſi huic propoſitioni concedamus, tunc facilis eſt expoſitio.

NUNC hac theoria, illud ſtadium morbi, quod ſupra memoravimus, exponere tentemus.

QUUM tabem varioloſam vulneri admovemus, venenum, quod ſtimulus ſpecialis eſt, non modo partem, ut alii ſtimuli, inflammat; verum etiam vaſa, quibus applicatur, ſe peculiariter agere et humorem varioloſum fecerne incitat. Hoc modo

inflammationem partis ejuſque exortum, ante humoris occurſum, explico. Humor, poſtea ſecretus, reſorbetur, et ad glandulam axillarem revehitur, in qua inflammationem excitat.

STADIUM proximum effectubus veneni in totum corpus, inchoat; febris eruptiva oritur, cujus indicia, niſi in cutem eruptio, aliis febribus fere ſimilia ſunt. Primo, cute notamus labeculas parvas, quae inflammantur; poſteaque oriuntur veſiculae, humorem, principio, lympidum, denique craſſum continentes; eruptione perfecta, febris evaneſcit. Paucis diebus labentibus, puſtulae areſcunt et deſquamant, et, ſi plurimae fuerint, febris iterum oritur, et, paucis diebus, aeger, vel in ſalutem evadit, vel fatis concedit.

HAEC Phaenomena exponere fermentationis etiam fautores difficillime poſſunt. Chemicam legem eſſe credo, nullam fermentationem moveri poſſe, vaſis, liquorem continentibus, crebro agitatis. Si res ita eveniat, fermentationem ſanguinis citiſſime circumlati, nequaquam exponamus.

ET tanquam concederemus ſanguinem poſſe fermentari, haud parum mirabile videtur, inteſtinis ali-

iſque partibus internis nulla indicia humoris, ſic fermentati, oſtendi. Etiam non melius exponunt febrem ſecundam, puris abſorbtione orientem, nam ſi a fermentatione oritur, tunc humor, ſic fermentatus, cuti rurſus deponeretur, et, hoc modo, febris per vitam hominis totam maneret. Vero hujus doctrinae fautores dicerent, ſanguinis habitum, ſic eſſe mutatum, ut nunc nullam haberet poteſtatem fermentationem ſuſcipiendi itaque, humor fermentatus non iterum cuti deponi poteſt. Hoc modo diſputandi, doctrinam, febrim a fermentatione oriri, quam maxime diruunt, quia, ſi ſanguis fermentari nequeat, nullam febrim oriri oportet. Contra evenire ipſi fatebuntur.

Poteſtatem humoris non a fermentatione oriri, ab experimentis ſupra narratis pateſcit, nam, ſi res ita accidat, ſanies, nullo tempore aeque atque pus, valeret; ſed, his periclitationibus, praeter hanc opinionem res cecidit.

Nunc noſtra theoria, Phaenomena exponere, conemur. Tabes in ſanguinem reſorbta, partes internas ſtimulat, illis autem parvam proclivitatem actioni varioloſae habentibus, febris totius corporis ſimplex oritur; cutis, vero, eodem tempore incitata, cito actio-

nem propriam inducit, et tabem varioloſam ſecernit, quae, partim in ſquamis defluit, partim reſorbetur, iterumque corpus ad febrim incitat. Cute, vero, nequiente rurſus actionem illam propriam ſibi inducere, venenum, igitur, fit ſtimulus ſimplex, non ſpecialis corpori, et febris pariter finitur ut febris ſimplex.

Si haec in variolis agendi ratio ſit, uſus mercurii ad morbum mitigandum ſatis manifeſte patebit. Corpus quod jamjam actionem mercurio propriam ſuſcepit, proclivitatem minorem, qua variolis immodice moveretur, poſſidet. Igitur, Febris prima eſt levis, ſecunda nulla.

Illam rationem parandi, quae mihi optima videtur, nunc explicare aggredior. Quibus venenum inſerere futurus ſum, diebus duobus antecedentibus, mercurium dulcem exhibeo, et omni nocte repeto, uſque ad ortum febris eruptivae; Infanti primum annum vix excedenti doſis eſt grani dimidium, ut aetas, ſic creſcit medicamentum, hominique vigeſimum annum implenti, grana tria, quatuorve, adminiſtro. Si venter nimis ſolvatur, pro mercurio dulce ab uno uſque ad quatuor grana pilulae mercurialis Pharmacopoeis Londini, Edinaeque, juſſae, exhibeo; ſi

haec etiam purgent, effectus eorum opio tempero. Si glandulae ſalivales moveantur, mercurio uti deſino. Si alvus nihil reddat, illam catharticis mitibus cieo. Quibus morbo naturali aegrotaturi ſunt, uſum mercurii die eodem quo contagio impertitur (ſi hoc ſciam) incipio, quia morbus nunquam tam cito, quam in prioribus, apparet. Corporis habitus curationem oſtendit: alios infirmare, alios roborare, neceſſe eſt: validiſſimos etiam nimis enervare, peſſimum eſt. Aliae partes rationis parandi, aliis bene notae ſunt, igiturque, hic, eas enumerare haud utile eſt.

Observationibus meis nunc finitis, tantum mihi reſtat, ut ſpem meam exprimam aliquem ſagaciorem, occaſioneſque meliores nactum, ad opus maturandum, hoc opuſculo, motum iri; tunc, me hominibus haud parum profuiſſe gaudebo.

5 0659

VALETE.